



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1535**

**VD16 B 9759**

Nihil noui si haeretici surgunt

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35433**

ri. Sed hoc miserrimum est, nos simplices ita circumferri, ut ignoremus, quid tandem factum sit opus. Catabaptistæ uos, uos catabaptistas errare dicitis, utriusque sua ornant & uera esse dicunt. Meo iudicio quicquid miseriarum est & turbarum, à sacerdotibus oritur. Nec puto turbulentiora unquam fuisse tempora. Satius fortasse fuerit, ut affectui meo indulgens, nemini quicquam crediderim, res meas pro libito agens.

IOIADA. Haudquaquam ita facies mi Simon, sed ex te ipso iam disce, quid à catabaptistis boni ueniat, quidque ab eis suxeris. Nam palam profers iam fructum, nempe desperationem & sese niti. An excidit tibi quod Deus in Deuteronomio docet: Non facietis singuli quod sibi bonum uidetur, sed quod dominus præcipit. Sic perplexi isti homines ceteros secum impediunt & præcipientes agunt. Sed uos in culpa estis, authores uestri mali, nam placent uobis huiusmodi impostores. Mox ut contentiosus aliquis, aut noui aliquid ac insolentis caput exerit, adcurritis omnes cateruatim, neque promouent apud uos monitiones, non preces non increpationes. Quum in profundum malorum uentum est, sacerdotibus culpam impingitis, qui uos summa cum fide præmonent, quorum monita, imò dei uerba per ipsos prolata si audiretis, tranquillis uobis uere liceret. Quandoquidem ergo uestra culpa ultro uos in has angustias coniecistis, non est ut culpam hanc

quid a catabap  
dicitur boni uer  
um

Deut. 12. 116

id est per se  
sibi uerba  
per se  
per se

fidis pastoribus, qui uos ut hæc caueretis præmonuerunt, qui uos ad pacem ad charitatem & cōcordiam adhortati sunt, sed uobisipsis adscribatis. SIMON.

Dixi, quod ad huc sentio, turbulentiora nunquam fuisse tempora, quicumq; tandem sint authores.

Vide quid nix.  
Eas apl. nix.  
Vind imp. nix.

IOIADA. Vm̄ scire quid sit? Hoc turbas mouet, quod uos temere in omnibus compitis unumqueng; è plebe ministrum uerbi Dei facitis, idq; sine delectu. Ad hæc prodis te historiarum omnino inscium, & rerum inexpertum, qui uix unius ætatis aut sæculi gesta noris, nec ultra quàm quod præsens est spectes. Si legisses sacra Euangelia, apostolorum actus, grauiora nimirum reperisses dissidia, quæ ex Christi & apostolorum sermonib. nata sunt. Porrò omnes historiæ plene sunt dissidiorum quæ præteritis sæculis ex Mar- tionis, Valentini, Arrii, Nestorij, Euthicis, Donati, Pelagij, reliquorumq; hereticorum dogmatis falsis subnata sunt. Ibi fuerunt magni motus, & non solum urbium aut ciuitatum, sed regnorum etiam defectiones: quæ tantæ fuerunt, ut nostra cum illis ne conferenda quidem sunt. An non Christus ipse & apostoli futuris temporibus sectas exorituras prædixerunt? Non quidē in hoc, ut propter has turbaremur aut animum abijceremus penitus, sed ut hoc diligentius contra huiusmodi pestes uigilaremus, non solum ad cauendum, sed ad resistendum quoq;. Diserte pronunciat Paulus

Vide 4. 6. 7.  
apl. sectas fu.  
Vix apl. p. d. x. -  
Vind.